



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Frid. Adolphi Lampe S. S. Theol. Doct. Ej. Et Hist. Eccl.
Professoris Ordinarii, Delineatio Theologiae Activae**

Lampe, Friedrich Adolph

Herbornæ Nassaviorvm, 1728

Caput I. De Communione Sanctorum, & Officiis, circa illam quoad singula
membra Ecclesiae internae excolendam, praestandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-28501



THEOLOGIÆ ACTIVÆ

LIBER TERTIUS,

Officia specialissima, quæ in Relationibus diversis observanda sunt, pertractans.

CAPVT PRIMVM.

*De Communione Sanctorum,
& Officiis circa illam quoad
singula membra Ecclesiæ internæ
excolendam præstandis.*

SUMMARIUM.

- I. De nexu & ordine agitur §. 1—4.
- II. COMMUNIO SANCTORUM explicatur
§—29.
 - A. Per definitionem §.
 - B. Per deductionem 6—19.

G g 3

I. Quc-

1. *Quoad membra Ecclesiae triumphantis*
7---12.
 - a. *Officia recensentur* 8---11.
 - b. *Rationibus fulciuntur* 12.
2. *Quoad membra Ecclesiae militantis* 13---29.
Hac communio pressius
 - a. *Describitur* 13---28.
 - α. *Indoles ejus spiritualis in genere supponitur* 13.
 - β. *Officia recensentur* 14---28.
 - γ. *Fundamentum eorum* 15.
 - δ. *Diversi eorum actus* 16---28.
 - a. *In judicio Honor* 16.
 - b. *In propensione PHILADELPHIA reciproca* 17---28.
 - α. *Passiva* 18.
 - β. *Activa* 19---28. continens
 - †. *Officia spiritualia* 19---26. *praestanda*
 - γ. *Remotius* 20.
 - δ. *Strictius* 21---26. *dona aliis impendendo*
 - * *In usum communem* 22---24.
 - ** *In usum privatam* 25. 26.
 - †† *Officia corporalia* 27. 28.
 - b. *Commendatur* 29.

I.

Posteaquam vitae novae actuositatem, quatenus a singulis Regentis absque personarum discrimine

mine in se consideratis per gradus exerceri solet, percensuimus; nunc iidem nobis considerandi, ut pars diversarum *Societatum*, in quibus constituti *Relationem* ad cœtera earum membra habent, cui convenienter se gerere debent. Cum autem & illæ *Societates* diversam gerant faciem, & diversa singulorum *membrorum* integrum eorum *Corpus* quasi conficientium sit conditio, hinc insignis *Officiorum* huc pertinentium nascitur *differentia*.

II. Duo *SOCIETATUM*, ad quas Regenitus *Relationem* habet, sunt genera. Quatenus enim membrum est Ecclesiæ in *Sacram*, quatenus simul in Mundo versatur, in *communem* seu *secularem* Societatem est insertus. Utramque iterum spectare potest vel ut *publicam* vel ut *privatam*. Hinc ansa nobis nascitur distinguendi inter quatuor *Communiorum* species, quas eo ordine recensebimus, quo aliæ aliis subordinatæ sunt.

III. Incipimus a *Communione Sacra*, quoniam illa *basis* & *norma* est omnis *Communiorum mundana*. Cum autem duplex ejus *Vinculum* sit, alterum *internum* & *immediatum* per Spiritum sanctum connexum, alterum *externum*, quod *mediate* per ordinem humanitus institutum & administratum conservatur, hinc duplicem esse *Communiorum sacram* apparet: alia *privatim* quoad illos, quos *interna* Ecclesiæ membra præsumimus esse, alia *publice* quoad illos, quos pro *externis* membris agnoscere oportet, exercetur. Priorem distinctionis causa *Communiorum Sanctorum*, posteriorem autem *Communiorum Ecclesiasticam* nuncupamus.

IV. Primas damus *Communione Sanctorum*, quoniam illa scopus est *Communione Ecclesiastica* mediata; tanto hac præstantior, quanto sanctior ipsa *Domus Templi* præ *Atrio* erat. Quamvis enim in *Societate civili* publica anteponenda aliquando sint *privatis*, secus tamen res se habet in *Communione Sacra*, quoniam in illa publica commoda cum *privatis* in conflictum nunquam veniunt.

V. Per hanc *Communione*, Κοινωνία, intelligimus illam *Relationem*, quam *Regeniti ad omnes Sanctos*, ut *veros subditos Regni Christi* habent, quos tanquam *partem sui ipsius*, ejusdemque corporis *secum membra considerant*, & quibuscum hanc *unionem omnimode conservare atque promovere querunt*. Distincte hic notemus tum *personas*, quæ hanc *Communione* conficiunt, tum ipsos *actus Communione* hujus *exercitium* ingredientes.

VI. *Personæ* sunt omnes *Sancti*, quos tanquam *subditos Regni Christi* consideramus. Fundata ergo est hæc *Relatio* in alia, per quam omnes, tam *mali Angeli*, quam *irregeniti*, a quacunque tam *activa* quam *passiva* parte in hac *Communione* excluduntur, tanquam *semen Serpentis* irreconciliabili inimicitia *Semini Mulieris* oppositum. Duæ autem eorum *Sanctorum* classes sunt. Pertinent enim partim ad *Ecclesiam triumphantem* constantem tum *Angelis*, tum *Spiritibus consummatorum iustorum*, partem ad *Ecclesiam militantem* in terris.

VII. Propter majorem *Sanctorum in cælis* a *Sanctis in terra*, quam *Sanctorum in terra* inter se, distantiam *Communio*, quam *Regeniti cum Sanctis in cælo* habent, obscurior est. Verum

hoc

hoc non obstante cum de ipsa Communionis veritate ex Scriptura constet, fas quoque est, ut Regeni per Fidem omnibus officiis defungantur, quæ ex natura illius Communionis, in quantum illa nobis est revelata, fluunt.

VIII. Quoad *Judicium* Beatos Cœlites *estimare* atque *honorare* fas est, prout convenit fastigio illius Excellentiae, in quo sunt positi. Quamvis enim corporale nobis cum illis non intercedat commercium, adeoque *verbis* ac *gestibus* honorem nostrum erga illos declarare nequeamus, *animo* tamen alte debet infigi excellentia summa illarum creaturarum, quas inter omnes, quæ nobis innotuere, proximum Deo locum obtinuisse credimus.

(1) *Angelos* oportet *honorare* propter *eximiam Sanctitatem*, quam inconcussa eorum *constantia* supra mortalium sortem evexit; & propter *insignem usum*, quem Christo communi Regi, in Regno ejus promovendo, tanquam proximi ejus *Ministri & Satellites* præstant.

(2) *Beatas animas* decet suspicere propter *victoriam*, quam per Christum super omnes hostes spirituales obtinuerunt, perfectam a peccato justificationem, purificationem, & honorem, qui ipsis a Deo, Christo, Angelis bonis & reliquis Sanctis exhibetur.

IX. Potissima autem Communionis cum Ecclesia triumphante pars absolvitur illa *unione Amoris reciproca* (Confer Lib. II. cap. 5. §. 28.) qua, quæ eorum sunt, *nobis*, & quæ nostra sunt, *illis* addicimus atque appropriamus.

X. In *Communionem Beatorum Cœlitum passivam*

Gg 5

tran-

transimus, quando per Fidem *Bona*, quæ illi possident, *nobis* usurpamus, sive *omnes*, sive *singulos* respiciamus.

(1) Omnium *universim* *Bona* pro nostris reputamus, quoniam eodem cum ipsis Rege & Capite fruimur, eandem cum ipsis hæreditatem expectamus, ipsisque curæ esse persuasi sumus, ut & nos cum illis ad eam plene possidendam introducamur.

(2) Quoad *singulos* hoc discrimen facimus, quod *Angelos* consideremus ut Domino nostro ad salutem nostram procurandam ministrantes; *Beatas autem Animas* tanquam *Preambulones* quosdam, qui ejusdem nobiscum naturæ consortes, pro toto quasi Ecclesiæ corpore jam in possessionem perfectissimæ hæreditatis sunt immissi. Quæ fiducia, non in quodam Cœlitum merito, sed in beneplacito Dei atque ordine ab eo posito recumbens, lætitiâ spirituales non parum promovet.

XI. *Amorem* autem, quo fideles fruuntur *rependere* vicissim *active* *Beatis Cœlitibus* quarunt.

(1) Quoad *universos*, desiderant magis magisque illis *assimilari*, atque ea fini Virtutes ad perfectam eorum sanctitatem pertinentes, quas Scriptura in illis laudat, sibi in exemplum proponunt, jugiter orantes, ut *voluntas Patris in terra fiat, quemadmodum in cœlis*.

(2) Quoad *singulos presentiam Angelorum* reverentur, adeoque & propter illam omne quod *indecorum* est, fugiunt 1. Cor. xi. 10. *Animarum autem Beatarum* vestigia, quæ in terris relique-

liquerunt, grata memoria recolunt Hebr. XIII.
7. XII, 1.

XII. Merito hæc officia fidelibus commendata
sunt :

(1) Quia a Beatis Cœlitibus se diligere no-
runt, atque hunc Amorem ipsis indignissi-
mis exhibitum Amore reciproco compensare de-
bent.

(2) Quia Communio hæc admodum glorio-
sa ipsis est, eosque vere *nobilitat*.

(3) Quia illa pertinet ad primitias cœlestis
gloriæ.

(4) Quia maxime convenit temporibus N. T.
in quibus vinculum hujus Communionis *velo* in-
ter Sanctum & Adytum *rupto* arctius evasit Hebr.
XII. 22. 23. Joh. I. 52. Ephes. I. 10. Matth.
VIII. 11.

XIII. Sanctorum *in terra* inter se Relatio est
multo arctior, tum propter majorem naturæ ea-
dem imbecillitate adhuc laborantis *similitudinem*,
tum propter *commercium* propinquius, quod in-
ter se exercent. Neque tamen *commercium* hoc
per se ad essentiam *Communionis Sanctorum* perti-
net. Nam ab una parte Communio illa se ad
ignotos æque ac *notos* extendit, quoniam cum to-
to Corpore mystico Ecclesiæ exercetur. Et ab
altera parte Communio cum illis ipsis, quibus-
cum *commercium* colimus, nonnisi *hypothetica* est,
in quantum nempe de illis speramus, ac præsu-
mimus, quod non hypocritica, sed vera Cor-
poris Ecclesiæ membra sint. Quod enim *Fanatici*
quidam sibi hic tribuunt, tantum non infallibile,
Spirituum scrutinium, fundamento caret, &
glo-

gloriæ summi soliusque *Renum scrutatoris* injurium est.

XIV. Obligationum huc pertinentium natura optime deduci potest ex *Fratrum* nomine, per quod constanter hæc relatio in sacris exprimitur. Inde enim tum *fundamentum*, tum *officia hujus* Communionis fluunt.

XV. *Fundamentum* Communionis est eadem origo non *carnalis* sed *spiritualis*, quæ vel tanquam *paterna* vel tanquam *materna* considerari potest. *Pater* omnium unus est Deus, & quidem *Pater* per *adoptionem*, *Filius* per spirituale *conjugium* cum Ecclesia, *Spiritus sanctus* per *regenerationem*. *Mater* est Ecclesia ipsa, cœlestis Hierosolyma. Illa Christo eos genuit mediante Verbo tanquam *semine* regenerationis. Sic ejusdem *nature*, *imaginis*, *domus*, *honorum*, *hereditatis* participes redduntur.

XVI. Hæc cum ita sint, *officia* eadem, quæ *Sanctis in cœlo*, sibi invicem in *terra* jam præstare debent. Per *Sacramentum Pedilavii* illorum totam rationem Servator adumbravit, cujus mysticum exercitium omnibus discipulis suis commendavit Joh. xiiii. 14. 15. Eadem autem classes officiorum hic redeunt. Quare primo requiritur in *Judicio Honor* eorum, quos Deus honoravit. Quamvis enim in *Judicio* de singulis personis prudentia illa semper sit exercenda, quam Lib. II. cap. 8. §. 54--56. commendavimus, ubicunque tamen justæ præsumendi opus Gratia rationes sunt, sancta merito animi veneratione eos prosequimur, qui *Regnum Sacerdotale* Domini, *Filii* ejus non mentientes, *Heredes Dei*, *Cohære-*

des Christi, Fratres, Sponsa, Soror Filii Dei, Templum Spiritus sancti &c. evaserunt.

XVII. Quidni fideles cum personis tam pretiosis coalescere propius per *Unionem Amoris* reciproci contenderent? Hæc exercetur per illam toties laudatam ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΑΝ 2. Petr. I. 7. 22. III. 8. Hebr. XII. 1. 1. Theff. IV. 9. quæ *Honori* jungitur, & propter summam, quam requirit, intimi affectus teneritudinem ΦΙΛΟΣΟΦΥΙΑ dicitur Rom. X. 10.

XVIII. Cum autem in omni Communione *reciprocum jus* obtineat, ab una parte Bonis aliorum Christi membrorum ad nostram perfectionem promovendam frui licet. *Bona* sane Sanctorum aliorum tanquam *sua* considerandi jus Sancti habent 1. Cor. III. 22. 23. De illis etiam actu participare tum maxime contendunt, quando per illa Gratia dona, quæ Deus aliis indulget, ipsi proficere & ad cultum arque celebrationem Domini aptiores fieri contendunt. Quo pertinet, ut *precibus* eorum se commendent, ut *consilia* eorum & *incentiva* expetant, ut in illis *profectibus*, quos in aliis deprehendunt, procul omni invidia *latentur*, atque propter illos ex sincero corde Deum *glorificent* Col. 1. 3. 4. 1. Theff. 1. 2. 3.

XX. Ut autem jus hoc in aliorum membrorum Corporis mystici Bona sartum tectumque conservent, ipsi vicissim, quæcunque acceperunt, in commune commodum impendere parati sint. Quo spectant officia tam *spiritualia*, quam *corporalia*, quibuscunque Ecclesie militantis in membris præstanda.

XX. Ad

XX. Ad officia *spiritualia* pertinet, ut unusquisque promovere incrementum aliorum spirituale quærat. *Remotius & generalius* id fit:

(1) Per *Preces sinceras*, tam pro totius Ecclesiæ salute Pl. cxxi. 6. quam pro singulorum necessitatibus, quæ propius nobis innotuere, fufas Jac. v. 16. Confer Lib. 11. cap. 6. §. 42.

(2) Per prudentem illorum *Mediorum usum*, quibus adhibitis animi propius coalescere atque omni offendiculo anfa præcidi potest. Huc referatur

(a) *Humilitas cordis* perpetua praxi ita declarata, ut appareat nos, tanquam Fratres ejusdem fortis coram Deo atque ex eadem liberrima ejus Gratia per omnia dependentes, nullum in alia membra Christi Dominium nobis arrogare velle Matth. xx. 25--28. xxiii. 8--12. Luc. xxii. 24--27. Jerem. xxxi. 34.

(b) *Veritatis studiosa sectatio*, quæ *pacis* solidæ fundamentum esse debet Zach. viii. 19.

(c) *Evitatio sollicita dissensus* circa veritates etiam non fundamentales, quantum humana imbecillitas permittit, Rom. xv. 5, 6.

(d) Multo magis *logomachiarum & disputationum* de rebus quoque minoris momenti, prophetandi libertatem evertentium, præcisio 2. Tim. ii. 14. 23. Tit. iii. 9.

(e) *Accommodatio* sui ipsius etiam in rebus licitis secundum imbecillitatem puerorum in Christo 1. Cor. x. 23, 24. Confer Lib. 11. cap. 8. §. 18. 19.

(f) *Amica & familiaris cum piis conversatio*. Nihil tamen impedit, ut absque aliorum con-

temtu

temtu selectum quendam observemus, in quo morum atque inclinationum similitudo, educatio, longior usus &c. non parum momenti habet. Ipse Dominus Lazari domui, & inter discipulos Joanni familiariter assuevit.

XXI. *Strictius* huc referimus *officia specialiora* eo directa, ut *dona*, quæ in *singulos* fideles Deus contulit, in *plurimum* usum impendantur. Varietatis enim *charismatum* in Ecclesia eadem est ratio, quæ *artium ac mercium* in Republica, ut nempe singulis membris de suo ad commune commodum conferentibus toti corpori mystico bene sit Eph. IV. 16. I. Cor. XII. 14--20. I. Petr. IV. 10. Sic compositum fuisse cum *donis extraordinariis*, quibus Ecclesia primitiva gavisa est, liquet ex I. Cor. XII. 7--11. Potest autem illa *collatio* donorum vel magis in *commune commodum* vel magis *privatim* institui.

XXII. Communius commodum præstatur per *Sata* quædam de rebus divinis inter *Laicos Exercitia & Colloquia*, quæ odioso *Conventiculorum* nomine traduci solent, eum in finem destinata, ut non solum per *preces*, sed etiam *sermones* ac *disquisitiones* sive de *veritatibus Scripturariis*, sive de *Casibus conscientie* uno, pluribusve præcuntibus, incrementum in cognitione, prudentia spirituali, fide & sanctificationis studio promoveatur. Tales societates ita conformes sunt veræ Christianismi indoli, & tam idonea sunt profectuum in vita spirituali media, ut non solum *tolerari*, sed etiam *foveri* ac *promoveri* debeant.

XXIII.

XXIII. Requiritur tamen, ut *ordine ac decen- ter* omnia fiant 1. Cor. xiv. 33. Idque eo magis, quoniam hoc pacto præcavendum est incommodis, quæ eo neglecto facile suboriuntur, atque investivarum in quæcunque *Conventicula* prætextus speciosos præbent. Curandum ergo, ut *preambulones* in hisce colloquiis sint homines spectatæ pietatis & veritatis *cognitione* sufficienti imbuti, utque in illis nihil occurrat, quod aut contra *decorum* in genere, aut contra *cultum publicum* ejusque *moderamen* impingat, sed ut omnia ei *subordinata* sint.

XXIV. Nihil magis esset optandum, quam ut communes passim *Conversations* inter Christianos eo essent directæ, ut loco inutilium *Confabulationum* sermones de rebus sacris miscerentur, sive *repetendo* collatis symbolis, quæ publice audita sunt, sive *Scripturam sacram*, aliumve librum pium *legendo* & ex hac lectione pro re nata amicas disquisitiones instituendo, sive *canticis* sacris *precibusque* corda ac vocem ad Dominum rollendo. Tale genus consuetudinis inter Christianos commendatur Col. iii. 16. 1. Thess. v. 11.

XXV. Privata magis *Communions Sanctorum* officia diversitas circumstantiarum requirit, in quibus singuli, in quos incidimus, occurrunt. Sunt illi aut tales, quos censemus adhuc *irregeneratos* aut *regentos* esse. Priores directe *Communio sanctorum* non tangit. Et quid Amor Proximi circa ejus animam præscribat, in genere ostensum est Lib. ii. cap. 8. §. 60. Stimulum tamen hic addit *Communio Sanctorum*. Unum quod

quodque enim tam illustris Societatis mem-
brum merito contendit limites ejus, & cum
illis ipsius Regni Christi, pro virili extendere.

XXVI. Directius autem huc faciunt, quæ cir-
ca illos observare debemus, quos speramus re-
genitos esse. Illorum salutem in casibus variis
promovere possumus:

(1) Quando *rudiores* in cognitione viarum
Domini erudimus Act. xviii. 26.

(2) Quando *errantes* cum prudentia & man-
suetudine a falsis præjudiciis reducere quærimus
Gal. vi. 1.

(3) Quando *imprudentes* toleramus Rom. xv.
1. 2. 7.

(4) Quando *peccantes* fideliter corripimus &
ad resipiscentiam hortamur Ps. cxli. 1. 5. Prov. xxi.
6. Ubi tamen fervor lenitate pro circumstantiis
temperandus est 2. Thess. iiii. 15.

(5) Quando *segnes* incitamus Hebr. iiii. 13.
x. 24.

(6) Quando *afflictos, fluctuantes & tentatos* con-
solamur 1. Thess. xiv. 15.

(7) Quando hortando & incitando *currentibus*
calcar addimus Ps. xxxiv. 4. Jes. i. 5. modestiæ
legibus tamen erga honoratiores observatis 1.
Tim. v. 1. 2.

(8) Quando *pacis* vinculum cum piis conser-
vare omni modo annitimur Ps. cxxxiii. 1. Eph.
iv. 3.

(9) Quando ad *remittendum* Fratrum *offensas*
paratissimi sumus Col. iiii. 16.

XXVII. Sed & quamdiu una in corpore degi-
mus, varia officia corporalia requiruntur pro va-

H h

riis

riis necessitatibus, in quibus fideles versantur, generibus. Huc ergo pertinent

(1) *Hospitalitas* erga peregrinos Rom. XII. 13. Hebr. XI. 11. 2.

(2) *Compassio* in malis, quæ patiuntur, sive doloribus, *morbis* ac molestiis communibus hujus mundi expositi, sive Christi causa sub persecutionum gravitate ingemiscens, exules, captivi, oppressi Hebr. XIII. 3.

(3) *Visitatio* afflictorum, ægrorum & captivorum Jac. I. 27. Matth. XXV. 16.

(4) *Patrocinium* viduarum, orphanorum, peregrinorum aut qui injuste opprimuntur. Job. XXIX. 12. 13. 15. 16. præsertim pietatis causa

(5) *Eleemosyna* pauperibus piis eroganda & primo loco, & cum singulari gaudio propter illam prærogativam, quod in membra Christi miseria aliquid erogandi ansa detur. Unde & eorum pudori consulendum, ipsaque petitio anticipanda est Act. XI. 29. 2. Cor. VIII. 1-4. Rom XII. 13.

XXVIII. Neque tamen hanc Communionem ad omnia Bona promiscue extendi necessarium est. Singularis enim circa *Communionem Bonorum* in Ecclesia Apostolica obtinuit dispensatio, quæ licet *laudanda*, non tamen illico *imitanda*, cum *neque omnia Bona* in commune conferrentur, *neque ipsa illa Collatio* ab Apostolis exigeretur, *neque alia Ecclesiæ Hierosolymitanam imitata* fuerint; & divinum consilium esset, per hoc medium illam longe iniquo ad relinquenda Canaanis Bona præparare. Multo minus *perplexi* & Sodalitates *Monachorum* in Papatu, *Labadistarum*, *Fanaticorum* in censum hic venire merentur.

XXIX. Quanti momenti *Communions* hujus observatio omnibus regentis cenferi debeat, liquet.

(1) Quoniam illa est fingulare *criterium Conversionis & Fidei* in ipsis 1. Joh. 111. 18. 19. IV. 7. 8. 20. 21. V. 1.

(2) Quoniam hoc per *emphasin* est capitale præceptum Jesu Christi, quod tanquam peculiare *præceptum probationis*, præ omnibus aliis, discipulis suis cum mundum relinqueret inculcavit, ac proprio exemplo confirmavit Joh. XIII. 34. 35. XV. 9. 12. 1. 17.

(3) Quoniam sic imaginem Dei Triunus exprimunt Joh. XVI. 20. 21.

(4) Quoniam ita gratias rependunt Deo pro maximo amore, quo a Deo amati sunt. Cum enim ipsi nihil referre queant, aliquatenus tamen gratum animum exhibent, quum reapse ostendunt, quanti æstiment illos, in quibus Deum & Christum inveniunt atque suspiciunt 1. Joh. IV. 10--11. Matth. XXV. 49. XV. 11. 5.

(5) Quoniam *Communio hæc sanctitate, felicitate, vinculo artissimo & constantia sua omnibus reliquis Relationibus longe est excellentior.*

(6) Quia ab hac unita vi Ecclesiæ ejus fortitudo in resistendo omnibus tentationibus dependet.

(7) Quia illa splendorem singularem Ecclesiæ coram hominibus conciliat Pl. cxxxIII. 2.

(8) Quia amplissimas promissiones habent, qui hunc unionem colunt Pl. cxxxIII. 3. Matth. X. 42.

(9) Quia sub *Oeconomia N. T.* hæc *Communio*

nio illustriorem splendorem nacta est, sublato & pariete intergerino, & fœdere externo. Hinc exercitium ejus diebus N. T. promissum Zeph. III. 9. Zach. VIII. 21. XIV. 9. Joh. x. 16. Initium implementi visum est Act. IV. 32.

CAPVT SECVNDVM.

De Communione Ecclesiastica, & officiis, quæ illa circa membra Ecclesiæ externæ in diverso gradu constituta observare jubet.

SUMMARIUM.

- I. *Definitio COMMUNIONIS ECCLESIASTICÆ datur §. 1.*
- II. *Illâ deducitur per partes 2 --- 41.*
 - A. *Fundamentum officiorum eo pertinentium 2.*
 - B. *Personarum, ad quas illa pertinent, differentia 3.*
 - C. *Officiorum enumeratio 4 --- 41.*
 1. *Quæ singulis in suo ordine competunt 4 --- 21.*
 - a. *Moderatoribus Ecclesiæ 5 --- 9.*
 - α. *Ministris Verbi divini 5.*
 - β. *Sociis eorum 6 --- 9.*
 - ℞. *Presbyteris 6. 7.*
 - Ⓜ. *Diaconis 8. 9.*

b. Mem-